



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata vt
Sacramento, & vt sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-vnctione, & demum de Ordinis
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

Quid sit Confirmationis minister. 9

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)

uandam. At nemo tenetur ea abundantia, & plenitudine, Christianus esse, sufficit si vere, & proprie, & simpliciter institutus Christianus sit. Ergo iure diuino non tenetur confirmationem suscipere. Neque item hac obligatio nasci potest ex huius sacramenti institutione, nam etsi ad roborandum fideles pro fide, & gratia in baptismo susceptis conseruandis institutum sit, quia tamen aliis mediis scilicet oratione, penitentia, continuo virtutum exercitio, & precipue Eucharistiae susceptione, & frequentia illud robari obtinere possunt, non obligantur confirmationem suscipere. Neque exemplum Apostolorum vrget; illis namque prohibitum est, e ciuitate exire, donec induerentur virtute ex alto. Tum quia debebant indui quodam stupendo miraculo non solum diuino Spiritu, sed dono Prophetiae, & linguarum in fidei confirmationem. Tum quia erant primi Ecclesiae fundatores, quos nullatenus expediebat ministerium praedicationis aggredi, nisi scientia, virtute, aliisque donis supernaturalibus apprime exornatos. Quod vero ex iure Ecclesiastico nulla sit obligatio, sic proba. Nam textus, in *cap. spiritus sanctus* affirmans auxilia confirmationis virtutis necessaria esse, intelligi debet non de necessitate absoluta, & simpliciter, sed de necessitate secundum quid, qualiter reperitur omne illud quod est maxime conueniens. Textus item in *cap. de his eadem dist.* solum probat ritum, id est licite baptismum sine confirmatione perfici non posse, quia olim praecipuum erat confirmationem simul cum baptismo ministrari debere. Quia stante consuetudine dubium non est recipientem baptismum extra mortis periculum obligatum esse confirmationem recipere. Sed hac obligatio non ex praecipuo directo suscipiendi confirmationem nascebatur, si quidem suscepto baptismo in mortis periculo nulla erat postea obligatio suscipiendae Confirmationis. Sed ea obligatio nascebatur ex praecipuo, quo praelati Ecclesiae tenebantur Sacramentum baptismi simul cum confirmatione ministrare, & non aliter. Adde si aliquod esset praecipuum Ecclesiasticum suscipiendae Confirmationis, esset tempus determinatum ab Ecclesia pro illius executione, si cui cernitur in aliis sacramentis necessarius, nempe baptismo, penitentia, & Eucharistia. Item Ecclesia cogeret censualis fideles ad illud suscipiendum. Neque morituri ab illius susceptione excusarentur, si adesset Episcopus, qui ministrare vellet. Igitur asserendum esse nullam per se esse obligationem Confirmationis suscipiendae.

7. Notanter dixi *per se*. Nam per accidens peccate mortaliter potes confirmationem omittere. Primum si ex contemptu omitas. Censuris autem ex contemptu omittere si omitas eo quod reputes confirmationem puerilem esse, & tua persona minus dignam. Si autem data occasione suscipiendi confirmationem omitas suscipere ex quodam animi corpore, & negligentia nullatenus contemnere censuris, aliis venerabile Eucharistiae sacramentum saepe contemneres, omittere ex negligentia illud recipere cum facile posses. Sic Suar. *dicta dist. 38. sect. 1. vers. quocirca*. Egid. de Coninch. *quast. 72. art. 8. dub. unico. num. 87*. Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 3. cap. 5. quast. 4*. Verum esto praedicta omisso non sit Confirmationis contemptus, est tamen illius dimiuta aestimatio. Qui enim potens facile confirmationem suscipere omitit, satis ostendit parui pendere tum gratiae plenitudinem, tum auxilia, quae ratione huius sacramenti conceduntur ad fidem, & charitatem conseruandam. Tum pericula assentiendi tentationibus, quod per se indecens esse videtur; ideoque raro hac negligentia a peccato veniali excusari potest; vt docet Suar. *quast. 72. art. 8. dist. 38. sect. 1. circa finem*. Egid. *dub. unico conclus. 3*. Secundum esse potest per accidens peccatum, & satis graue omisso Confirmationis ob scandalum datum. Si enim alicqualiter de fide suspectus sis, credi rationabiliter potes confirmationem contemnere, cum illam absque rationabili causa omitas. Sic Suar. *supra*. Egid. *concl. 2*. Laymann. *q. 4*. Tertio ratione propria conscientiae, vt si firmiter crederes tibi periculum amittendi fidem, vel charitatem imminere, nisi confirmationem recipias, quia obligatus es quantum commode possis praedicta pericula vitare. Suar. & Egid. *supra*. Quarto si primam sententiam, alioque ordinem suscepturus sis ob decretum Trident. *sess. 23. cap. 4*. relatum pro quarta sententia. Verum ibi non contineri speciale praecipuum de Confirmatione praemittenda, sed solum admonitionem docuit Nauarri. *cap. 22. num. 9*. Suar. *dist. 38. sect. 1. in fine*. Egid. de Coninch. *quast. 72. art. 8. num. 90*. Reginald. *praxi lib. 28. num. 24*. Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 3. cap. 5. quast. 4*. Verum tamen existimo praecipuum contineri ob ea quae diximus in fauorem quartae sententiae, eaque de causa est graue peccatum veniale, vt dixit Laymann. *supra*, suscipere ordinem non praemissa confirmatione. At non erit mortale, vel quia leuis est materia, vel quia consuetudine sic praecipuum temperatum est.

PUNCTVM IX.

Quis sit Confirmationis minister.

1. Minister ordinarius ex Christi institutione est solus Episcopus consecratus
2. Haereticus, & degradatus valide, tamen illicitè, confirmationem ministrabit.
3. Ex delegatione solius Pontificis simplex Sacerdos esse potest.
4. Alteri de Sacerdote hac potestas committi non potest, neque ab alio prater Pontificem.
5. Ad concedendam hanc facultatem debet Pontifex graui causa duci, vt prudenter operetur, valida tamen erit concessio absque causa.
6. Hanc facultatem poterit Pontifex electus, etsi non sit ordinatus conferre.
7. Episcopus non debet alios prater sibi subditos confirmare.
8. Deinde debet in propria diocesi, non in aliena absque licentia proprii.
9. Item debet vni christiano eo anno consecrari.
10. Debet esse in gratia.
11. An debeat esse ieiunus?
12. Obseruare debet caeremonias ab Ecclesia praescriptas.
13. Si longo tempore Episcopus ministrare Confirmationem omittat, peccat mortaliter.

I. Fide Catholica certum est Confirmationis ministrum ordinariū esse solum Episcopum consecratum. Sic habetur pluribus decretis de consecrat. *dist. 5. & cap. presbyteros de consecrat. dist. 4. & in cap. quanto de consuetud. & in concilio Florent. in decreto Eugenij, & in Trident. sess. 7. can. 3. de confirmat.* dicente. Si quis dixerit sanctae Confirmationis ordinariū ministrum non esse solum Episcopum, sed quemlibet simplicem Sacerdotem anathema sit. *Et sess. 23. cap. 4.* signatur vt propriū Episcoporum munus confirmationis ministratio, *et can. 7.* anathemate damnatur asserens confirmandi potestatem communem esse Episcopis, & Presbyteris. Colligitur hac veritas ex Actor. 8. *et 19.* vbi soli Apostoli leguntur fidelibus per manus impositionem Spiritum sanctum communicasse. Ergo signum est nullum alium Sacerdotem hanc habuisse potestatem. Neque obstat illam manus impositionem Sacramentum Confirmationis non esse, sufficit loco illius Sacramentum Confirmationis successisse. Ratio desumitur ex institutione Christi, ius, & traditione Ecclesiae declarata. Congruentiam explicuit D. Thom. *quast. 72. art. 11.* dicens: In quolibet opere vltima consummatio supremæ arti, & virtuti referatur. Fideles autem Christi sunt quoddam diuinum opus secundum illud. 1. Corin. 3. Dei edificatio estis. Sunt etiam quasi quaedam epistola Spiritu Dei scripta. 2. Corin. 3. Hoc autem Confirmationis sacramentum est quasi vltima consummatio baptismi, quia per baptismum homo edificatur in domum spirituales, & conscribitur quasi quaedam spiritualis epistola, sed per sacramentum Confirmationis quasi domus edificata dedicatur in templum Spiritus sancti, & qua epistola conscripta crucis signo signatur, & ideo collatio huius sacramenti Episcopis referatur, qui obtinent supremam in Ecclesia potestatem. Deinde quia Episcopi sunt Ecclesiae duces, at ducibus conuenit eligere, & consignare milites. Ergo ad Episcopos pertinet Confirmationem, qua milites Christi consignantur, ministrare. Quae verò aduersus hanc doctrinam ex Patribus, & Conciliis obicit possunt & facilia sunt, & optime dissoluit Suar. *dist. 36. sect. 1. post medium*.

2. Episcopus vero etiam haereticus, depositus, degradatus, que sit, valide, tamen illicitè Confirmationem ministrabit, quia characterem ordinis, a quo hac prouenit potestas, non amittit. Sic pluribus firmat Suar. *dist. 36. sect. 3. vers. dicendum*. Bonac. de Sacram. *dist. 3. p. 2. nu. 7*. Barbola. *allegat. 30. de potest. Episc. n. 2. & alij*.

3. Dixi ordinariū ministrum esse solum Episcopum. Nam extraordinarius ex delegatione solius Pontificis simplex Sacerdos esse potest. Colligitur ex facto Gregorij *lib. 3. epist. 26.* & refertur in *cap. peruenit 95. dist.* Hic enim Pontifex praecipit Presbyteris infule Sardiniae Confirmationibus baptizatos, ne id facerent, ob cuius praecipuum scandalum ortum est, quod cernens Gregor. inquit. Nos quidem secundum vsum veterem Ecclesiae nostrae fecimus, sed, si omnino hac de re aliqui contristantur vbi Episcopi desunt, vt presbyteri etiam in frontibus baptizandos Chrismate tangere debeant, concedimus. At non est credendum tantum Pontificem in te tam graui bonum commune spectante errarum. Ergo ex commissione Pontificis potest presbyter. Confirmationem ministrare. Consentit concilium Florentin. in decreto Eugenij, vbi inquit. Legitur tamen aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc

hoc administrasse Confirmationis Sacramentum. Supponitur in concilio Senonen. in decretis morum cap. 38. & factis indicatur à Trident. afferente Episcopum esse ordinatum huius sacramenti ministrum. Cum enim dicit ordinatum, supponit alium esse posse ex speciali commissione, & delegationi. Quid enim prohibet Christum Dominum Episcopos in ministris huius sacramenti absolute, & simpliciter designasse, presbyteros vero non sic, sed facta Pontificis commissione? Etenim hic institutionis modus convenientior est, ne ob defectum Episcoporum plures hoc Sacramento privetur. Affirmandum igitur est ex delegatione Pontificis presbyteros ministros huius sacramenti esse. Et ita sustinet D. Thom. qu. 72. art. 11. & ibi Coninch. num. 104. Suar. disput. 36. sect. 2. post princ. Nauarr. c. 12. n. 8. Couaruu. lib. 1. var. c. 10. n. 6. & 14. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 3. cap. 6. Bonac. disput. 3. de Sacram. q. vn. p. 2. n. 3. & alij apud ipsos.

4. Laici vero, aliusve clericis Sacerdote inferioribus nullatenus hæc potestas committi potest, imo nec Sacerdotibus ab alio præter Pontificem, constat ex vfu, & consuetudine Ecclesie, qua institutio Christi declaratur. Nunquam enim legimus Sacerdotibus hanc potestatem Episcopos concessisse, neque Pontificem clericis Sacerdote inferioribus. Potius relati textus iudicant summo Ecclesie Pastori comparatione Sacerdotum hoc negotium referatur esse. Sic omnes doctores allegari.

5. Pontifex autem ad concedendam hanc Sacerdotibus facultatem graui causa duci debet, aliis imprudenter operabitur, valide tamen teste Suar. disput. 36. sect. 2. vers. tertia pars. Henric. lib. 3. c. 6. n. 4. Coninch. q. 72. art. 11. dub. vn. n. 110. Paul. Laymann. lib. 5. sum. 6. assertio. 2. Quia Pontifex hanc Sacerdotibus facultatem concedens in lege Christi non dispensat, sed vtrius potestate sibi à Christo relicta. Neque credendum est Christum Dominum suo Vicario hanc potestatem reliquisse pro solo casu vrgentis necessitatis, quia esset graue periculum sæpe efficiendi irritum Sacramentum. Quod si obicit concilij Florentini decretum supponens ex dispensatione sedis Apostolicæ, & ex rationabili, & vrgenti causa hanc administrationem Sacerdotibus concedi posse: Respondeo id verum esse de concessione, vt licite, & prudenter fiat, secus vt valide; concessio namque facultatis extraordinariæ, & præter communem vsum sæpe dispensatio appellatur.

6. Poterit vero Pontifex hanc Sacerdotibus facultatem præstare eo ipso quo electus sit, tamen ordinibus careat: quia esto confirmare ipse non possit, confirmandi tamen potestatem concedere poterit. Hæc enim concessio non est actus ordinis, sed iurisdictionis, sicuti potest Parochus non Sacerdos iurisdictionem Sacerdoti delegare absoluedi à peccatis, quamuis ipse absolueri non possit. Sic. Agid. de Coninch. q. 72. art. 11. dub. vnico, n. 109. Suar. disput. 36. sect. 2. vers. soler. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 3. cap. 6. concl. 2. in fine.

7. Plura requiruntur, vt prædictus ordinatus, vel extraordinarius minister licite præstet suum officium. Primò non debet alios, quam sibi subditos confirmare. Quia ad cuiuslibet sacramenti licitam administrationem iurisdictione in personam cui est sacramentum ministrandum expostulatur. Neque enim omnibus datum est alienas oues pascere. Sic ex omnium sententia restatur Syluest. verbo Confirmatio distina. n. 5. Suar. disput. 38. sect. 2. in fine. Bonac. disput. 3. de Sacram. qu. vnica punct. 2. n. 10. Ex præsumpta tamen voluntate proprii superioris possunt alieni subditi licite confirmari, quia præsumuntur à proprio Superiore subditi. Vnde autem hæc præsumptio colligatur arbitrio prudentis relinquatur. Et quidem si tibi ordinandum alienum subditum non Confirmatum remittit proprius Episcopus, dubium esse non potest, quin velit, vt et Sacramentum Confirmationis concedas, siquidem Confirmatio ordinibus recipiendis præmitti debet ex Trident. sess. 23. cap. 4. sic Henric. lib. 3. sum. cap. 6. num. 6. Zambra de Confirmat. dub. 2. num. 3. Paul. Laymann. lib. 3. sum. tract. 3. cap. 6. conclus. 3. An vero incolis, & peregrinis ministrare Confirmationem possis in tua diocesi absque vlla sui Episcopi speciali concessione? Negant Petr. Ledesma, in sum. tract. de Confirmat. cap. 9. conclus. 7. Bartholom. ab Angelo Dialog. 3. §. 62. Bonac. disput. 3. quæst. vnica punct. 2. num. 10. Moueri possunt, quia hoc Sacramentum non est necessitatis, sed vtilitatis, aliis & ordinare, & matrimonio coniungere eos posses. Neque item debes inquirere, an Confirmandi sint tui subditi, cum aq̄e non subditos, ac subditos possis confirmare. Contrarium verius existimo cum Henric. lib. 3. cap. 6. n. 6. Eman. Saà verbo Confirmatio num. 2. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 3. cap. 6. Assert. 1. Barbofa allegat. 30. de potest. Episc. num. 14. Marc. Antonin. Genuen. ppaxi, cap. 54. num. 7. Quia hoc Sacramentum licet non sit absoluta necessitatis, est tamen maxima vtilitatis, quia non est credendum velle Pastorem proprium suas oues esse priuatas, præcipue cum inde nullum ei incommodum proueniat. Sicuti progreant potest ex Ordine, & matrimonio recepto. Et, scire ob hanc causam vtu receptum est Episcopum in propria diocesi confirmantem omnibus ad se conuenientibus Confirmationem

Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars. IV.

ministrare nulla inquisitione facta, an sint propria, vel aliter diocesis. Secus vero procedit, cum Ordinem ministrat. Secundo debet in propria diocesi Confirmationem ministrare, alias si in aliena diocesi irrequisito proprio Episcopo ministraret hoc sacramentum etiam sibi subditis & peccaret mortaliter, & suspensionem ab exercitio Pontificalium incurreret. Ita ex Trident. sess. 6. cap. 5. de reformat. & ex declarat. Cardinal. tradunt Eman. Saà, verbo Confirmatio n. 3. Henric. lib. 3. cap. 6. n. 6. Barbofa aliis relatis, 2. p. de potest. Episc. allegat. 30. n. 15.

9. Tertio vti debes chrismate eo anno consecrato, si enim veteri vteretur absque necessitate vrgente, peccaret mortaliter, sicuti colligitur ex Fabiano Papa epist. 2. & ex cap. si quis de alio de consecrat. dist. 4. & cap. quoniam de sentent. excommunicat. in 6. Nam si in baptismo, vbi solum chrismatibus vntio est quidam ritus ab Ecclesia præscriptus, nequit vetus chrisma deseruire, sed nouum apponendum est: à fortiori in Confirmationis sacramento, vbi chrisma est illius materia, id obseruari debet, vt bene notauit Suar. disput. 38. sect. 2. in fine.

10. Quarto debet esse in gratia, aliàs peccabit mortaliter, si Confirmationem in mortali ministrat, debetque intentionem virtuales habere prædictum Sacramentum conferendi, constat ex dictis tract. 18. de Sacram. in genere, p. 5. & tract. 19. de bapt. p. 9.

11. Quinto debet esse ieiunus, vt cauetur cap. vt ieiuni, cap. vt Episcopi, de consecrat. dist. 5. Sed non est præceptum sed consilium, vnde contrarium sæpe fit, præcipue cum numerosus populus confirmandus est, quem Episcopus ieiunus difficulter confirmare possit, eaq̄e de causa post prædium hoc sacramentum sæpe ministrat. Suar. disput. 37. sect. 2. vers. quarto. Agid. q. 72. art. 12. Laym. lib. 5. tract. 3. cap. vlt.

12. Sexto obseruare debet cæremoniis ab Ecclesia præscriptas, de quibus in puncto sequenti.

13. Aduertendum maxime est obligatum esse Episcopum Sacramentum Confirmationis per se, vel per alium Episcopum in sua diocesi ministrare. Vnde si longo tempore huius sacramenti ministrationem omiseret, non est dubium peccaturum mortaliter, quia priuare oues, quas pascere obligatur vtilitate spiritali non leui, & opportuno, apostolicoque remedio ad fidem, gratiam, & charitatem conseruandam. Sic Tolet. lib. 5. cap. 4. Suar. disput. 38. sect. 2. Marcus Anton. Genuen. in manual. Pastor. cap. 54. n. 2. Barbofa alleg. 30. num. 9. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 3. c. 6. in fine. Hinc fit obligatum esse ad loca præcipua suæ diocesis gratia conferendi chrismatibus accedere. Nam si solum in Cathedrali ministraret confirmationem, plures ex diocesi sine Confirmatione remaneret. Debet ergo ad loca saltem præcipua accedere, quò regulariter omnes confluere possunt. Sic Barbofa 2. p. de potest. Episc. alleg. 30. num. 10. Neque laici, aut Ecclesiarum rectores obligantur ad Episcopi expensas, quia vt huic obligationi Episcopus satis faciat solutione decimarum à populo alitur. Barb. dicto. n. 10.

PUNCTVM X.

Quibus cæremoniis Sacramentum Confirmationis ministrandum est.

1. Explicantur cæremoniae antecedentes. Prima debet præcedere chrisma ex oleo, & balsamo per Episcopum benedictum.
2. Secunda ad se debet pertinere, & de illius conditione.
3. Tertia. Orationes præmittuntur.
4. Quarta. Ieiunium ex decentia tantum non ex obligatione.
5. Comitantes cæremoniae. Prima est tempus, & quod sit.
6. Secunda est locus, & qui sit.
7. Tertia. Sunt vestes sacre.
8. Subsequentes cæremoniae. Prima est Confirmari frontem vitra linea ligari.
9. Secunda est leuis maxillo percussio.
10. Tertia. Solet enumerari cereus accensus.
11. Quarta sunt orationes.
12. Quinta est admonitio, ne è loco Confirmationis discedat & confirmari usque ad vltimam Episcopalem benedictionem.

1. **A**lias sunt cæremoniae, & ritus confirmationem antecedentes, alia comitantes, alia subsequentes. Antecedentes sunt, vt chrisma sit ex balsamo, & oleo ab Episcopo consecratum, cuius consecrationis ritus latè expendit, & explicat Suar. q. 72. art. 12. dist. 37. sect. 1. per totam.

2. Secunda, vt adit patrinus, sicuti in baptismo, qui confirmandum tenet. Habetur cap. si quis filium suum, cap. de his 30. quæst. 1. cap. si quis ex vno eadem dist. quæst. 4. Nam vt optime dixit Catechismus Romanus: Sicut in fide per baptismum genitus indiget pedagogo, sic militia celestis inferpitus, & in militem figuratus, & armatus indiget duce, & militiae magistro, cuius monitis nequissimi tela possit extinguere. Patentur tamen Doctores patrinum in Confirmatione non